

et statu Viterbii et partium adiacentium plene scire non possumus. veritatem. Propter quod latorem presentium ad vos duximus cum nostris litteris destinandum, ut tam de continentia vestra quam de statu partium prescriptarum sive per litteras, si scribendi tempus et scriptorum copia vobis erunt, sive per aliquem nuntium ydoneum et fidelem de omnibus sufficienter instructum nos dubios et anxios curetis sine more dispendio reddere certiores. Interim tamen confortemini et viriliter agite proditoribus principis forti animo resistentes. Credimus enim et pro firmo tenemus, quod dominus imperator, prout sibi per litteras nostras expresse laudavimus<sup>a)</sup>, infra modicum tempus in persona propria et forti manu succurret vobis ita viriliter et potenter, quod adventum eius proditores sui nullatenus expectabunt, quin a facie ipsius velut pulvis ante venti faciem<sup>1)</sup> evanescent.

## IV.

*Kaiser F(riedrich II.) lobt den Viterbeser (Ritter) Tineosus Landulfi wegen seiner Verdienste um die Treue seiner Heimatstadt, verspricht ihm reiche Belohnung und teilt ihm mit, daß er den Grafen Richard von Caserta als Kapitän nach Viterbo entsende; Tineosus möge die von Richard überbrachten Befehle ausführen.*

*(Ende August—Anfang September 1243)<sup>2)</sup>.*

*Hs. fol. 24<sup>d</sup>—25<sup>a</sup>.*

F[ridericus] Dei gratia Romanorum imperator etc. Tinioso<sup>b)</sup> Landulfi de Viterbio etc.

Fidelitatis tue litteras solita benignitate recepimus et, que continebant, pleno collegimus intellectu tuam industriam approbantes de eo, quod statum et processum Viterbiensis populi in nostra fide et devotione constantis<sup>c)</sup> tuis litteris denotasti. Gaudemus utique, quod de ipsius populi constantia inflexibili<sup>d)</sup> votis nostris operum exhibitione ostenditur, quod firma fiducia pollicetur, quia ipsorum aures et animos mala cuiusquam<sup>e)</sup> suggestio<sup>3)</sup> non attinet<sup>f)</sup>, quin fidem nostram et imperii pleno ore, plena communium voce et exhibitionibus operum fatentur, propter

---

<sup>a)</sup> Hier zweifellos in der Bedeutung von raten oder empfehlen; vgl. J. F. Niermeyer, *Mediae Latinitatis lexicon minus* (1954 ff.) S. 586, laudare 8    <sup>b)</sup> Tinios Hs.; zur Form des Namens s. o. S. 179 Nr. 31    <sup>c)</sup> constantiis Hs.    <sup>d)</sup> inflexibilis Hs.    <sup>e)</sup> cuiquam Hs.    <sup>f)</sup> attinens Hs.

<sup>1)</sup> Vgl. Ps. 17, 43; 34, 5 und Isai. 17, 13.

<sup>2)</sup> Zur Datierung oben S. 179 f. Nr. 31.

<sup>3)</sup> Vgl. Esth. 16, 7.